



Artesia.

<https://hdl.handle.net/1874/430429>



Blonk
DIV-45

TORI, FVNDATORI QUIETIS, CHRISTIANÆ
 RELIG. ACERRIMO PROPVGNATORI, IVSTI-
 TIA, ANIMI MAGNITVDINE, PRVDENTIA,
 RELIGIONE, CLEMENCIA, PATIENTIA, A-
 LIISQVE INSIGNIBVS VIRTVTIBVS LONGE
 ORNATISS. QVI POST INGENTES VBIQVE
 TERRARVM PARTAS VICTORIAS, ET CLA-
 RISSIMOS DE GALLO, TVRCA, AFRIS, ITA-
 LIS, GERMANIS, ACTOS TRIVMPHOS, TAM
 MVLTIS INDIA PROVINCIIS, ET INSVLIS
 ETIAM PRISCIS INCOGNITIS, PER LEGA-
 TOS MAGNO REIP. CHRISTIANÆ ORNAMEN-
 TO INVENTIS, ATQVE LVSTRATIS. DENI-
 QVE POST FOELICITER ADMINISTRATAM
 ET PRVDENTER CONSTITVTAM REMP. PHI-
 LIPPO FILIO TOT AMPLISSIMIS HISPAN-
 REGNIS, FLANDRIÆ, ET ALIIS PROVINCIIS
 INAVGVrato, RELIGIONE DVCTVS. EX
 FLANDRIA IN HISPANIAM TRAEICIT, SE-
 QVE IN IVSTVM HIERONYMIANI ORDINIS
 COENOBIVM, ADIBVS ILLIC IVSSV EIVS
 CONSTRVCTIS, RECEPIT, VBI RELIQVVM
 VITÆ, QVOD VIX BIENNIVM FVIT, TRAN-
 QVILLISSIME EGIT, ET SANCTISSIME OB-
 IT XI CAL. OCTOB. M. D. LVIII. IOANNA
 LVSTITANIE PRINCEPS HISPANIARVM GV-
 BERNATIX, PATRI OPT. ET MAX. P. VIX.
 ANN. LVIII. MEN. VI. DI. XXVII. IMPERAVIT
 ANN. XL. REGNAVIT ANN. XLIII.

Teutonica simul & Imperialis Flandria gubernatur
 hoc tempore à Principe Gavereno Comite Egmondano,
 qui Arthesiæ quoque Præfectus est: Gallicanam guber-
 nat (ut diximus) Dynasta Currierius. quo utroque defun-
 cto, & infectis postea bellis civilibus, destituitur ista
 Provincia peculiari Governatore. cujus vices propterea
 supplet generalis Belgicæ terræ Legatus, donecaliter
 statuat Rex. Atque hæc est in summa descriptio Flandriæ,
 quæ habetur ab omnibus pro amplissimo potentissimo-
 quæ totius orbis Christiani Comitatu, quem locum, &
 inter Regna, illud Galliarum, & inter Ducatus, Medio-
 lanensis ditio non injuria sibi vindicat. Sed pergamus ad
 alia.

ARTHESIA

COMITATVS.



ARTHESIA magna ex parte complectitur
 ejus gentis tractum, quam Cæsar in Com-
 mentariis Atrebatas appellat, ab Atrebatō,
 & ipsius & nostro ævo, tractus ejusdem me-
 tropoli, quam Galli quidem vulgo *Aras*,
 Itali autem *Araxo*, Flandri denique *Auecht* appellant.
 Hæc regio terminos varie olim mutavit, & pro variis il-
 lis ac reciprocris inter Galliam & hanc Belgicam moti-
 bus, modo latior ampliorque modo contractior iterum
 atque angustior facta est. quæ omnia sicut prolixitate
 sua multum fastidii, ita parum utilitatis lectori adfer-
 rent. quare sufficit si dicamus, Arthesiam hodie termina-
 ri, à Septentrione quidem Lifa flumine, & fossa (quam
 vocant) Nova, quæ à Flandria eam dividunt: à meridie
 vero versus Dorlanum cum Picardia; ab ortu cum Flan-
 dria Gallicana & ditione Cameracensi conjungi: ab oc-
 casu denique versus Monstrolium Picardiæ rursus adfin-
 nem esse. regionem equidem peramœnam & præstan-
 tissimam; ut quæ cælum experiatur admodum clemens
 & temperatum, solum vero habeat omnium rerum, si vi-
 num tantum exceperis, feracissimum. nascitur autem de-
 fectus iste vini, ex incuria magis & negligentia incola-
 rum: tum quod regio Galliæ tam vicina & bellorum
 periculis nimis exposita: quam è cæli solive ipsius in-
 clementia, gignit in primis laudatissimum genus tritici,
 idque ea luxuria, ut quam copiosissime illud extra ip-
 sam Provinciam evehatur: & cum bonæ Teutonicæ
 Flandriæ parti, rum Brabantæ quoque, ac nominatim
 Aneverspiæ (ubi exteri fere triticeo, non autem cibario
 illo & fecalicio pane utuntur) adfatim submitatur, quin
 Mechlinia quoque comperta itineris Duaceni opportu-
 nitate, triticum istud Arthesinum aqua illinc idemtidem
 petit, & in civium usus infumit. Faciunt insuper isti ho-
 mines tam laudabile genus panis, ut in opida is & pa-
 gos circumvicinos magna in dies copia distrahatur. Nu-
 merantur in hac Arthesia duodecim Opida muris clausa,
 concentro iis Rentæjo, arcis magis quam opidi nomen
 tuente.